

Pd. 42.



2 4

DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA
DE
DECIMIS,

QUAM
SUB AUSPICIIS COELESTIBUS
EX DECRETO ET AUTHORITY INCLITI
JURIS CONSULTORUM ORDINIS
IN ALMA ET PERVETUSTA ELECTORALI
UNIVERSITATE MOGUNTINA.

PRÆSIDE

*Prænobili, Clarissimo ac Consultissimo viro
ac Domino*

D. JOANNE VALENTINO STRAUS

J. U. Doctore, Juris Publici & Codicis Professore Publico &
Ordinario nec non Facultatis Juridicæ Assessore

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS RITE CONSEQUENDIS

Publicæ Disputationi Exposuit

Plurimum Reverendus Perillustis & Amplissimus

D. EUGENIUS FRANCISCUS FERDINANDUS

De LANGENBERG Colonienfis, Illustris Ecclesiæ ad
S. Gereonem intra Coloniam Canonicus Capitularis.

IN COLLEGIO SCHENCKENBERGICO

Die 15. Julii Anno M DCC XXXV.

MOGUNTIAE ex Typographia Electorali Aulico-Academica Mayeriana.

DISSERTATIO
IN AUREIS JURIDICIS
DE
DECIMIS

QUAM
SUB AUSPICIIS COELESTIBUS
ET DECRETO ET NOTORIALI FACULTATE
JURIS CONSULTORUM ORDINIS
IN ALMA ET PERPETUA ELECTORALI
UNIVERSITATE MONTANA

PRÆSTARE
Candidatus Carolus Christianus

D. JOHANNES VALENTINUS STRAUS
U. D. Doctor Juris Publici Professor Publicus &
Ordinarius in Facultate Juridica Montana
pro summo in utroque Jure Honoratus et Rector

Publicæ Disputationi Expositur
Patriam Recondere Patriamque Amplius
D. EUGENIUS FRANCISCUS FERDINANDUS
D. LANGENBERG Colonienſis, Illuſtris Electoralis
S. Electoralium Consue. Canon. Capituli
IN COLLEGIO SCHENCKENBERGII
Die 15. Junii Anno MDCCLXX

MDCCCLXXII Typographi Nicolai Jahn - Actum Montanæ





THE S I S.

I.

Decimæ seu jus decimandi latè sumptum aliud est profanum & merè laicale, aliud Ecclesiasticum, decimæ laicales sunt v. g. dum Domini temporales datis prædiis suis in usumfructum, feudum, vel Emphyteusin loco tributi, pensionis annuæ, vel Canonis imposuerunt decimam vel aliam partem fructuum pendendam, aut quas per speciem Collectæ seu contributionis indixerunt subditis suis: huc etiam referri potest jus illud decimandi de quo fit mentio *in l. 3. C. de Metallariis*, ubi nempe præcipitur fisco, nec non etiam Domino fundi, in quo saxa vel metalla inveniuntur, decimas saxorum & metallorum solvi, ast de his non est intentio impræsentiarum agendi, sed de Ecclesiasticis.

A 2

II.

II.

Decimæ itaque Ecclesiasticæ sunt quota pars fructuum tam terræ, quàm aliarum rerum Deo in recognitionem universalis dominii debita & Ministris Ecclesiæ ob Ministerium Spirituale persolvenda : *Engels ad decretales tit. de decimis n. 1.*

III.

Decimas has Ecclesiasticas originem habere ex jure divino, Communis est resolutio, à Deo enim institutæ fuerunt, & olim saltem sub veteri lege præceptæ, Deus enim optimus Maximus *Exod. 22.* præcipit eas solvi. *Decimas inquit & primitias non tardabis offerre. Et leviticorum ult. ibi. omnes decimæ terræ sive de pomis arborum sive de frugibus domini sunt, & illi sanctificantur. item Num. 18.* Cum Sacerdotibus, qui & ipsi erant ex tribu levi, dedisset Deus omnia primitiarum jura, levitis concessit decimas omnium fructuum, summo vero Sacerdoti decimam decimarum levitarum : & hæc quoad decimas prædiales; quoad personales verò habetur *2. Esdræ 10. Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum.*

IV.

Decimæ aliæ sunt prædiales quæ ex fructibus prædiorum debentur, ut de vino, frumento, oleo

oleo, pomis, fœno & similibus terræ fructibus, personales verò quæ ex proventibus propriâ cujusque solertiâ & industriâ quæsitis, ut de negotiatione, artificio, & similibus solvuntur : sed de personalibus decimis inquit *Layman in Theologia Mor. lib. 4. Tract. 6. cap. 1. n. 4.* Sollicitos nos esse non oportet cum ex ferme ubique per defuetudinem abolitæ sint : Mixtas constituunt, alii eas, quæ partim ex industriâ humanâ v. g. in pascendis pecoribus adhibitâ partim ex naturâ proveniunt, E. g. ex animalium lanâ, lacte, butyro, ovis &c. alii verò eas ad prædiales & quidem non ineptè referunt, tum quod non nisi in prædiis animalia ejusmodi haberi possint, tum quod plus in illis natura quàm industria operetur, tum denique quod etiam in frumento & vino magna hominum industria requiratur & tamen has prædiales esse nemo sit, qui dissentiat.

V.

Solent præterea decimæ prædiales dividi in majores & minores seu minutas, Majores sunt, quæ ex frumento, vino, & oleo aliisque ejusdem generis penduntur, minores verò seu minutæ, quæ ex hortu & partu animalium præstantur.

JIV



Magna fuit inter antiquiores DDres præsertim Theologos & iuristas controversia, an decimæ in lege gratiæ debeantur ex jure divino, an verò ex jure Ecclesiastico, illis sustentibus eas esse juris Ecclesiastici, his verò juri divino eas adscribentibus: missis verò argumentis pro & contra, placet sententia *Maximi illius & Consultissimi Theologi, Joannis à Turre-cremata Cardinalis, qui utramque & Theologicam & juris utriusque scientiam cum summâ Laude Professus est, quique in Cap. revertemini: n. 5. & 6. Caus. 16. qu. 7. cum quæstionem proposuisset, an decimæ sint de præcepto, an de Consilio? Sentit cum Alexand. Alen. & Sancto Thoma, ac decidit, quoad sustentationem Ministrorum sive quoad substantiam esse præceptum divinum de iis solvendis, quoad quantitatem verò seu determinationem esse præceptum Ecclesiæ: huic sententiæ quoque præter Zerolam Theologiæ pariter & Juris Utriusque Doctorem de utrâque facultate bene meritum in sua praxi Episcopali verbo Decimæ adstipulatur Petrus Moneta Sacræ Theologiæ etiam ac jurisprudentiæ Laurea donatus in Tractatu suo de Decimis Cap. 1. qu. 2. n. 28. : nos quoque huic ultimæ tanto libentius subscribimus cum juri conformior videatur, & omnes passim recentiores Canonistæ eidem accedant,*

VII.

DEbentur autem Decimæ de jure de omni frumento, ut est triticum, siligo, hordeum avenâ &c. item de vino, fructibus arborum, de leguminibus, de fœtu pecorum, & de reliquis bonis *Cap. 3. Cap. 21. § 22. x. h. t.* taliter etiam, ut si ager aut hortus bis vel pluries in anno ferat fructus, toties solvendæ sint Decimæ, quin & si diversa semina in eodem spargantur agro: *d. Cap. 21. h. t.* & quidem Decimæ hæ debentur integræ, sive cum integritate, id est sine deductione seminis & expensarum text. *in Cap. 26. § 28. h. t.* in plurimis tamen locis de pomis, pyris aliisque arborum fructibus, item in aliquibus locis de fœtibus animalium de consuetudine solvi non solent, estque talis consuetudo in Materia decimarum attendenda *Cap. 8. Cap. 20. § 32. h. t. & alibi passim.*

VIII.

Decimæ regulariter Parochiali Ecclesiæ debentur, & ita quidem, ut si parochus cum Collegio Canonorum, Monasterio, clerico vel laico, super perceptione decimarum contendat, Parochus non cogatur jus suum probare, quia fundatam habet intentionem in jure, ex quo præsumitur, quod Decimæ ad eum pertineant, nisi adversarii contrarium ostend-

ostendant, *cap. 29. & 30. h. t. cap. 2. de restit. spoliatorum in 6.* imò quamvis alias spoliatus ante omnia restituendus, attamen is qui aliquandiu id est modico tempore decimas possedit, spoliatus à Parocho super decimis non restituatur, nisi de jure suo plenè docuerit: *d. cap. 2. de restit. spol. in 6.*

IX.

PRæfata autem juris assistentia etiam opitulatur Collegiis Canonorum, & Monasteriis, si iis Parochiæ incorporatæ sint, tunc etenim quoad decimas Collegia & Monasteria habentur pro Parochis & contra quoscunque intentionem fundatam habent jure parochialitatis. *Rot. Rom. post Tambur. de jure Abbatum decis 102.*

X.

SI parochiæ non sint distinctæ, cum tota Diocesis sit parochia Episcopi *cap. omnes Basilicæ can. 16. qu. 7.* Decimæ pertinent ad Episcopum; itemque si prædium in alicujus Parochia non sit situm *Moneta: in d. tract. cap. 7. n. 9. & seqq.* secus verò si locus esset intra duas parochias, sed ignoretur, sub qua sit, nam tunc non deberi Episcopo, sed potius inter utramque parochiam dividendas esse *post Abbatem in cap. quoniam x. de decimis suadet Moneta cit. loc. n. II.*

XI.

Sed quid si aliquis in unâ parochiâ percipiat Sacramenta, in aliâ vero sua prædia colat? Quoad decimas personales definitum est *in cap. 20. x. h. t.* quod debeantur parochiæ, in qua Ecclesiastica percipiuntur Sacramenta, quoad prædiales autem *in cit. cap. 20. nec non cap. 18. h. t.* dicit Pontifex ad consuetudinem esse recurrendum, quâ in contrarium cessante *juxta gloss. in cap. fin. de paroch. vers. prædiorum: & in cap. 20. h. t. versu consuetudo: nec non in cap. 18. eod. tit. vers. diversa.* de jure communi illi Ecclesiæ debentur, sub qua prædia sunt sita, & hoc passim ubique observamus

XII.

Decimas novalium quod attinet, alia sunt novalia propriè, alia impropiè dicta: propriè dicta sunt locus omnino sterilis ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset: *cap. quid per novale 21. x. de V. S.* impropiè autem dicta novalia dicuntur, si in locum ante cultum novi fructus inferantur, itemque modus culturæ mutetur v. g. si loco frumentorum ferantur olera & legumina si ager, convertatur in vineam, pomerium, aut pratum, & vice versâ, vel etiam terra præcisa

B

cifa, quæ anno vel aliquibus annis cessavit *d. cap. quid per novale.*

XIII.

NOvale improprie sumptum ex mutatione culturæ vel seminis ad rem nil facit, mutata enim culturæ vel seminis qualitas non mutat substantiam decimarum, *cap. 4. x. b. t.* adeoque manent ejusdem qui ab ante decimas percipiebat, & locus semel decimabilis semper decimabilis manet, *per text. cap. 30. b. t. & d. cap. 4.* decimæ autem novalium proprie dictorum, competunt parochio loci intra cujus fines exurgunt, *cap. quoniam 13. x. b. t.* Si verò in loco nullius parochiæ, v. g. aliquâ sylva, quæ pro finibus utriusque loci habebatur, tunc ad discretionem Episcopi à Deo sibi datam pertinet, cui Ecclesiæ deputare, aut etiam sibi retinere velit, *per Text. dist. cap. 13.* quæ tamen discretio non injustè regularetur, si juxta consilium *Moneta in cit. tract. de decimis cap. 4. n. 54.* cessantibus aliis motivis particularibus divideret inter utramque.

XIV.

PRæmissa quod novalia competant parochio loci, ampliantur, ut id etiam obtineat, licet in eadem parochia alii decimas ex præscriptione, consue-

suetudine vel privilegio aut infeudatione obtineant
cap. 29. h. 2. qui textus tamen semet ipsum limitat,
 nisi ab his, qui aliàs percipiunt decimas, rationabi-
 lis causa ostendatur, per quam appareat novalium
 ad eas decimas pertinere.

XV.

Inter ejusmodi causam rationabilem in terminis
 præscriptionis primo censi potest, si decimæ
 præscriptæ sint intra certos limites certi prædii & ali-
 qua pars ejusdem prædii inculta, ad culturam re-
 digatur, maximè si pars illa minor sit, 2. si præ-
 scribens præter jus ordinarium decimandi insuper
 præscriptionem juris percipiendi decimas novalium
 probare possit, demonstrando videlicet, quod ha-
 ctenus de exurgentibus novalibus semper solitus fue-
 rit decimas accipere; quæ tamen præscriptio, si re-
 sultet ex diversis actibus respectu diversorum, vide-
 tur potius assumere naturam consuetudinis.

XVI.

Quemadmodum laici decimas ex antiquo, etiam
 ex concessione in feudum percipientes deci-
 mas novalium usurpare aut sibi de jure arrogare non
 possunt *tex. in cap. 25. vers. nec occasione.* ita quoque
 Ecclesiastici decimas cum consensu Episcopi de ma-
 nibus



nibus laicorum justè detinentium, *juxta cap. 7. de his que fiunt à prælatis* acquirentes non poterunt ex hac translatione decimas novalium petere, sicut nec ipsi laici potuissent *text. in cap. fin. de decimis in 6.*

XVII.

IN terminis privilegii Ecclesiasticis concessi autem absque dubio causa rationabilis contra parochi intentionem erit, si collegio vel Monasterio ejusmodi Privilegium cum incorporationis jure fuerit concessum, tali namque casu Collegium vel Monasterium, uti supradictum est, censetur loco parochi, is verò qui administrat Sacramenta non est nisi vicecuratus: cessante autem incorporatione pro causa rationabili adhuc haberi poterit, si privilegium contineat verba ampla & favorabilia, ex quibus colligi valeat mentem privilegii se extendere etiam ad novalia *cap. 27. x. de decimis.*

XVIII.

Cessantibus ejusmodi causis rationabilibus juri ac æquitati magis consonum videtur, quod privilegium percipiendi decimas non extendatur ad novalia, privilegium namque est restringendum, quatenus concernit præjudicium tertii *cap. 16. de privileg. & ad futura privilegium non extenditur Clement. fin. de*

de *rescriptis* nec est intentionis concedentis, voluisse concedere decimas novalium & omnino privare Ecclesias Parochiales omnibus decimis, quibus jam assignatae erant à Dyonisio Papa. *cap. Pastoralis 9. x. de his quae sunt à praelatis*: ultra autem concedentis intentionem privilegium non est extendendum *cap. 38. x. de rescriptis*, estque non solum summæ æquitatis, ut si parochialis perdidit veteres, quod saltem novalia habeat, sed insuper est odiosum, quod tertius quispiam habeat decimas in aliena Parochia *cap. 2. de rest. spol. in 6.* debentur namque uti supra dictum de jure communi proprio curato, ast odia sunt restringenda *per cap. odia 15. de R. J. in 6.*

XIX.

Decimas præteritas non solutas parochus potest petere ab emptore seu possessore salvo regressu contra venditorem *arg. l. 7. ff. de public. & l. 36. ff. de jure fisci*, ubi deciditur fiscum ob non soluta tributa novos possessores convenire posse, quod argumentum tanto potius procedit, cum decimæ magis quàm tributa privilegiatae sint, & ante hæc persolvi debeant, *cap. 33. h. 2.* libertatem tamen seu electionem habet Parochus contra emptorem vel venditorem, prout magis placuerit & utilius visum fuerit, agendi

agendi, ne id quod in favorem Ecclesiæ introductum est, in ejus odium retorqueatur.

XX.

Suppono regulariter jus decimandi tanquam spirituale non posse competere laicis, ideoque eos esse juris illius incapaces *optim. text. in can. placuit 15. Caus. 16. qu. 3, & can. decimas 1. caus. 16. qu. 7. nec non cap. 7. x. de præscript. & cap. 17. h. t. ex hinc fluit, quod nullo unquam tempore dominium directum decimarum præscribere possint, ubi enim adest incapacitas juris, nec per immemoriam acquiri potest, prætermittendum tamen non est, quod si quis laicus possederit decimas per tempus immemoriam, maxima sit præsumptio tituli vel ex privilegio vel ex infeudatione ante Concilium Lateranense acquisiti; quin autem Papa alicui Principi vel etiam alteri laico ex speciali privilegio, vel in feudum decimas seu jus eas percipiendi concedere valeat, non dubitamus cum *Engels ad decret. h. t. n. 22. Moneta. cap. 5. n. 83. & pluribus ibi relatis: nec tamen ex hoc inferes, quod ergo laicus idem jus saltem tempore immemoriam præscribere valeat, cum tempus immemoriam vim privilegii habeat, nam id fallit, ubi adest incapacitas in possidente.**

XXI.

XXI.

Immunitatem seu exemptionem à solvendis decimis acquirere possunt tam laici quàm clerici, PRIMO per Privilegium *text. in cap. 3. & cap. 24. x. h. t.* SECUNDO per consuetudinem *cap. 8. & 32. in fin. h. t.* TERTIO per præscriptionem. *cap. 4. x. de præscript. & denique QUARTO per contractum seu conventionem, super decursis quidem sine consensu superioris, super futuris autem alias non quam assensu superiorum firmatam cap. 2. & cap. 8. x. de transact. & d. cap. 3. h. t.* intelligenda tamen hæc erunt, juxta dicta in *th. 6.* ut decimæ quoad substantiam non tollantur.

XXII.

CAusa decimarum, si petitorio agatur, ad iudicium Ecclesiasticum pertinet, *cap. 25. h. t. & cap. 2. x. de judiciis*, si verò agatur in solo possessorio iudicio, e. g. si parochus vel alius Ecclesiasticus conveniat laicum interdicto adipiscendæ retinendæ vel recuperandæ possessionis, aut quæratur an decimæ sine fraude & integræ solutæ sint. &c. nonnullorum est opinio hanc cognitionem esse mixti fori & etiam ad laicum iudicem pertinere, de quo tamen iudicium nostrum suspendimus.

F I N I S.

CO

COROLLARIA

E X

UNIVERSO JURE.

I.

Princeps legibus civilibus solutus est, quo ad vim co-
activam, non autem, quo ad directivam.

II.

Debitor, qui juravit se soluturum, adhuc compensare
potest.

III.

Clerici non obligantur directè legibus, aut statutis Ma-
gistratuum secularium.

IV.

Clerici in Causa Feudali, sortiuntur forum suum, coram
iudice laico, si dominus ipse sit laicus.

V.

Contrahentibus in foro conscientiae non licet se decipere
etiam infra dimidium justii pretii.

VI.


Nulla unquam praescriptio, cum mala fide procedit.

VII.

Si quis praescriptione completâ, cognoscat rem esse alie-
nam, non tenetur eandem alteri restituere.

VIII.

Filius familias jurato renuncians, exceptioni Senatûs
Consulti Macedoniani, tenetur illud juramentum servare.



Kr 3497

(X225 8755)

v. 18

W. 17

9/11





DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA
DE
DECIMIS,

QUAM
SUB AUSPICIIS COELESTIBUS
X DECRETO ET AUTHORITY INCLITI
JURIS CONSULTORUM ORDINIS
N ALMA ET PERVETUSTA ELECTORALI
UNIVERSITATE MOGUNTINA.
P R Æ S I D E

*Prænobili, Clarissimo ac Consultissimo viro
ac Domino*
D. JOANNE VALENTINO STRAUS

U. Doctore, Juris Publici & Codicis Professore Publico &
Ordinario nec non Facultatis Juridicæ Assessore
RO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS RITE CONSEQUENDIS

Publicæ Disputationi Exposuit
Plurimum Reverendus Perillustris & Amplissimus
EUGENIUS FRANCISCUS FERDINANDUS

De LANGENBERG Colonienſis, Illuſtris Eccleſiæ ad
S. Gereonem intra Coloniam Canonicus Capitularis.
IN COLLEGIO SCHENCKENBERGICO
Die 15. Julii Anno M DCC XXXV.

MOGUNTIAE ex Typographia Electorali Aulico - Academica Mayeriana.